

Commentatio  
de ultimo Persarum cantico.

Scripsit

Kłossowski.

---



Constitutio  
de aliis iuribus compagno

iusque

Documentum

— — — — —





## Commentatio de ultimo Persarum cantico.

---

Hoc scholastico praefationis munere funturus quamquam diu animi haeret, an totum carmen ex ducentis versibus constans aequa tractarem opera: tamen ne disputatio in iusti opusculi evaderet speciem, quum aut totum strictim, aut eius tantum pars accuratius explananda videretur, hoc alterum ita suscepit praestandum, ut praecipue et metrorum haberem rationem, et textum, qui non omni ex parte absolutus videretur, in integrum pro meis viribus restituerem statum. Neque tamen tam arctis finibus me velim circumscriptum, ut aliquot locis, quum inciderit, ut id recte fieri possit, interpretandis mihi plane sit interdictum. In exercenda autem arte critica solum ingenii acumen coniiciendi que facultatem spreta codicum auctoritate parum valere, immo nonnunquam periculosa existere, inter omnes constat. Atque haec codicum auctoritas tam late patet, ut ne tum quidem sit imminuenda, quum ea, quam probi exhibent codices, lectio minus placere videtur, quumque scriptorem elegantiore loquendi genere uti potuisse verisimile est. Id quod dici vix potest scriptoribus in integrum restituendis detrimenti quantum attulerit. Verum enim vero si gravibus freta argumentis nos subit suspicio, in dubium posse vocari codicum auctoritatem, non adeo sum pertinax, ut codicum auctoritatem non censeam cedere religioso oportere indicio.

Jam vero ad carmen ipsum accedamus explicandum, in quo describendo eas, quas non in iusta Persarum editione, sed aliis scriptionibus hic illuc viri docti obiter protulerunt, quasque ego ipse proposui, coniecturas in textum receptas lineola conspicuas reddidi.

Stasimo β' a versu 849 usque ad v. 902 res a Dario feliciter gestae summis efferuntur laudibus, praeterquam quod ultimis versibus magna illa clades indicatur, quam senes Persici Xerxi patris dissimillimo acceptam referunt. Quod quidem stasimum ex tribus strophis totidemque antistrophis et epodo constare, primus Hermannus vidit de metr. p. 427; idem postea mutavit correxitque versuum ordinem in el. doctr. m. p. 330. 363 sq. Summam tenemus, quae singula mutanda videantur, statim videbimus.

Stas. β'.

Stropha I.

- v. 1. ὁ πολοῖ, ἡ μηγάλας ἀγαθᾶς τε πο-  
λισσονόμον βιοτᾶς ἐπεκίρσαμεν,  
εὐθ' ὁ γηραιός  
πανταρχής, ἀπάντης, ἀμαχος βασιλεὺς  
λαρεῖος ἀρχε χώρας.

Antistr. I.

- v. 1. πρῶτα μὲν εὐδοξίμον στροφῆς ἀπε-  
φανόμεθ', ηδὲ νομίσματα πέργυν  
πάντ' ἐπεύθυνον.  
νόστοι δ' ἐκ πολέμων ἀπόνους ἀπαθεῖς  
5. εὐφρονας εῦ  
πράσσοντας ἄγον οἶκον.

Numeri hi esse videntur:

- v. 1. et 2. systema dactyl.  
3. \_ \_ \_ \_ creticus sequente trochaeo,  
4. X \_ \_ \_ \_ trim. dact. auct. cum basi.  
5. \_ \_ \_ choriam.  
6. \_ \_ \_ \_ \_ ithyphall. c. anaer.

Vv. 1 et 2. Herm. l. c. octametrum dactylicum esse statuit, eumque eiusmodi, ut ad systematis natu-  
ram proxime accedat. L. P. (hoc enim compendio liceat uti pro Langio et Pinzgero) eos pro  
trimetro dactylico habent per syzygias incedente. Quod quidem secus ac putant se habere ex  
veterum testimonis, \*) ad quae provocant, sponte appareat. Ibycum enim versum, octametrum dico  
cat. in syll., (cf. Gaisf. ad Heph. p. 274 sq.) et octametrum cat. in bisyll. versus esse dactylicos  
longissimos, ultra quos haud liceat procedere, sat locupletibus firmatur testibus. Quodquam octam.  
a cat. apud Graecos non extiterit, illos versus systema, quamvis id sit exiguum, re vera efficere in  
promptu est. Quod conjunctim scribatur, an dirimatur cum perinde sit, tetrapodiis disposui.

V. 3. est creticus cum trochaeo secundum Herm. et Pass.. L. P. licet trochaicum versum  
cat., catalexim scilicet logaoedicam, rectius numero dactylico adhaerere affirment, quam creticum  
dactyli dissimiliorem: tamen verborum si respexeris sensum, trochaicum remissiorem illum numerum  
in initio causae antecedentem sententiam fulcientis locum non habere, creticum adstrictiorem hue  
solummodo quadrare, tanquam sponte sese offert.

V. 4—6. Qui locus, qum in antistropha post ἀπαθεῖς vocabulum in omnibus libris desit,  
mirum quantum criticis negotii facessivit. Ac sane quam probabilis Meinekii conjectura (Btfr. f. A. B.  
1843 p. 184) πάλιν voce lacunam explicantis videtur. Qua adscita sic est scribendum:

4. νόστοι δ' ἐκ πολέμων ἀπόνους ἀπαθεῖς πάλιν εὖ  
5. πράσσοντας ἄγον οἶκον.  
4. X \_ \_ \_ \_ \_ pentam. dact. cat. in syll. cum basi.  
5. \_ \_ \_ \_ \_ ithyph. c. anaer.

ut prior sit pent. dactyl. cat. in syll. c. basi, (ubi enim in initio versum dactyl. el. in stropha et  
in antistropha constanter spondeus appetet, pro basi eum habeo), posterior ithyphallicus c. anacrusi.  
Quos quominus pentam. cat. in dissyl. et ithyphallicum statuam, illud impediet, quod vocum direc-  
tionem finiendis versibus in systematis solis permitti persuasum mihi est. Quamquam hac de re  
inter viros doctos disceptari probe scio. Quinto versui similes vide Herm. el. d. m. p. 594. Ne

\*) Aristides Quint. p. 52: „τοῦ δὲ γενικοῦ δακτυλικοῦ πεποίησαν οἱ μὲν ταῦτα εἰδη διαιτῶν, τριμετρον . . . πεντάμετρον παραβαίνονται δὲ τινὲς αὐτό, καὶ κατὰ συνγένιαν ποιοῦντες τετράμετρα καταληγοῦνται.“ Quo loco tetrametra κατὰ συν. ex quater binis pedibus composita intelligi debent. Marius Victorinus p. 2519: „inter haec ne ignorasse videar, non praetermissem, quod ferunt apud auctores exempla reperiri, quibus ostendant, hexametrum dactylicum usque ad octametrum disyllabo terminatum processisse, ultra quam proceritatem nihil in eodem scrutandum est.“

autem illos versus asynartetorum modo conjungerem, (Herm. et. 25: „ii vocandi sunt versus asyn., in quibus cum verba continuuntur, non continuatur tamen numerus, ideoque et hiatui et syllabae a ncipiti locus conceditur), in ithyphallico licet saepius id factum videamus, (cf. Herm. et 592) atque ita, ut interdum similiter atque nostro loco omitteretur caesura: id tamen nos deterruit, quod Archilochus (Heph. p. 48) primus asynartetos usurpavit, atque inter poetas dramaticos comicci tantum eo metri genere usi sunt. Quare Aeschylo id obtrudendum non putavi.

Jam vero ad eam, quam nos proposuimus, conjecturam transeamus defendendam. Primum igitur *ἴσοθεος* ut vulgo, quatuor syllabis efferendum censeo eadem quantitate, qua Pers. v. 80, Soph. Ant. v. 836, Eur. Or. 9, ut *τ* primae syllabae producatur epicae more poëseos. Etenim cum neque stropha, quamvis Guelferb. *ἄμαχος* omiserit, libris mss. tamen ceteris omnibus consentientibus, possit in dubitationem vocari, neque si *ἴσοθεος* prima syllaba correpta per synizesim efferratur, illo *πάλιν* aut alio ullo duarum brevium syllabarum vocabulo prorsus acquiescere queamus: pyrrhichius reiiciendus, dactylus urgendus videtur. Jam lectio B. *ἡμᾶς* apud Brunck. quam in ordinem is cum Schützio recepit, Passovius responsioni consulturus in *ἡμέας* mutavit, quippe ieuna cum mihi non probaretur: ex more Aeschyli bina adiectiva aientia binis negantibus opponentis, veluti in stropha *γῆρ.*, *παντ.* — *ἀκόν.* *ἄμαχος*: adiectivum aiens tertiae declinationis dactylicum nimirum excidisse, non potuit mihi non esse persuasum. — Quotiescumque autem illum locum tractabam, probabilis mihi haec ratio videbatur, omissum esse vocabulum similitudinem aliquam sequentium *εὖ πρ.* prae se ferens veluti *εὐφρονας*. Quod cum haud mediocriter commendaretur et sententiae integritate et metro, in textu posui. Atque metrum, quod exhibui, cretico v. 3 praeparatum, quam conveniat in hunc locum cum magna animi commotione pronuntiandum, non est, cur pluribus demonstrem. Metro constituto restat, ut de *ῳ πόλοι* in *ῳ πολοῖ* mutato dicamus. Editores enim posteriorum grammaticorum Graecorum secuti inventum, quo isti *πόλοι* dii a Dryopibus culti dicebantur, fere solent his accentibus eam exclamationem distinguere: *ῳ πόλοι*. Evidem vero non assequor, quo tandem modo id factum credam, ut haec iam apud Homerum passim obvia interiectione ex longinquis regionibus, usque ex Epiro scilicet, praesertim a populo, qui omnino non floreret poëseos laude, in Joniam quodammodo importaretur. Alia ut vocabula ad vitae cultum spectantia ista ratione aliunde inducantur: interiectiones tamen, quae natura eduntur ex intimo animo, ut merces venales, aliunde alio transferri, quis est, qui sibi persuadeat? Quodsi vocem *πολοῖ* ad vivum rescuerimus, eam cognitionem quandam habere reperiemus cum *παλαι*, cuius de accentu cf. Herm. Soph. Phil. v. 735) nihilque aliud esse, nisi priscum radicis *πός* dativum, cuius forma feminina lateat in vocabulo *παλαι* et ipso reduplicatione instructo. Significationes autem variae illius *πολοῖ* ex dativi natura facile elicuntur. Eodem pacto interiectione *ἄτοτοῖ* a prisco demonstrativo *τός* addita reduplicatione et anacrusi ducenda videtur. Quodcum *πολοῖ* potestate nominis exuerimus, sequitur, ut *ῳ* antecedens recte distinguamus acuto. Ceterum Ag. 1080. *πολοῖ* omissio *ῳ* genuino exstat accentu. \*) Sed omittamus lubricam hanc et captiosam quaestionem, quae magis divinatione ad liquidum possit perduci, quam demonstratione.

\*) Adverbium *ποῖ* et ipsum esse dativum radicis *πός*, ut Romanorum „quo“ ablativum pronominis „qui“ pro certo contendem. Accedit, quod Prom. v. 577 secundum Engerum de Aesch. ant. resp. p. 70 sq. omissio *ῳ* atque *ποῖ* sequente legitur: *πῳ πόλοι*, *ποῖ μάγονοι*.

Str. II.

v. 1. ὅσσας δ' εἰς πόλεις πόρον οὐ διαβάσας Ἀλυνος ποταμοῖο,  
οὐδὲ ἀφ' ἑστίας συθεῖς,  
οἷαι Στρυμονίου πελάγους Ἀχελωΐδες εἰσὶ πάροικοι  
Θρηξίων ἐπαύλων.

Antistr. II.

v. 1. λίμνας τ' ἔξτοθεν αἱ κατὰ χέρσον θλημέναι πέρι πύργον,  
τοῦδ' ἄνακτος δῖον,  
Ἐλλας τ' ἀμφὶ πόρον πλατὺν αὐχόμεναι μηγία τε Προποντίς,  
καὶ στόμωμα Πόντου.

- v. 1. X - - - - - aeolici generis hexam.  
dactyl. cat. in dis. c. basi.  
2. - - - - - tetrap. troch. cat.  
3. idem ac primus.  
4. ' - - - - - ithyp.

V. 1 et 3 nolim cum L. P. adversus Hermannum facientibus syzygūs metiri (v. infra). Burneius et Gaisf. ad Heph. p. 275 eos in vulgaribus versibus daetyl. numerantes recte ab Herm. refutantur el. d. m. p. 363. Aeolicos eos esse, spondei constanter in initio, si recte versus disimilares, positi arguunt. Illud vero Hermanni argumentum, quod in versibus sic dispositis ictus in potiores cadant syllabas, nolim urgere; idem enim, id quod in talibus ex sententia petitis argumentis fere fieri solet, L. P. in contrariam partem suo iure usurpant.

V. 1. formam ὕσσας exhibui, quae exstat in libro Medic. Herm. quidem tuetur ὕσσας, cui basi in antistropha respondeat λίμνας el. d. m. p. 538; sed cf. quae Engerus de Aeschyliis antistrophicorum responsionibus p. 68 sq. contra ea recte disputat. V. 3. Editores alii aliter hunc versum explicarunt, verum eorum sententia non potui acquiescere ulla. Passov. Ἀχελωΐδος ex Aldo scribit; sed forma femina, qualis est Ἀχελωΐς, substantivo generis neutrius inneta nusquam reperitur. Schützius vertit: „quae urbes Thraciae maritimae Strymonio sinu maris Aegaei adiacent. L. P. ἀχελωΐδ. πόλεις reddunt „urbes fluviales,“ quos sequitur censor Passovii in ephem. litt. Lips. 1818 m. O. p. 2117. Quae una videbatur restare interpretatio, eam J. Müllerus protulit ἀχελωΐδ. appellative transferens „insulas“ tam vicinas terrae continent, ut fluminum limo Echinadum ad instar aggestae viderentur. Qui recte a Schützio refutatur. Blomf. denique nostrum plane desperat locum.

Jam vero L. P. explicatio eo refellitur, quod verba sequentia: λίμνας τ' ἔξτοθεν etc. non fluvialibus, sed iis urbibus opponuntur, quae sinum Strymonium adiacent. Non magis autem cum Schützio Ἀχελ. „maritimās“ verterim; recte enim Pass.: mare Strymonium est sinus, quem Strymonis ostia in immensum dilatata efficiunt; bene vero dicitur Achelōius, quum definiri nequeat, ubi desinat fluvius, incipiatque mare.“ Quod posterius, Ἀχελωΐδες scilicet in Ἀχελωΐδος mutandum et ad πελάγους referendum, non esse probabile, jam diximus. Quodsi vulgatam Ἀχελωΐδες retinemus: sic locus vertendus videtur: „quae sunt Strymonii sinus urbes undis circumfusae, vicinae

Thracum sedibus.“ Si autem vera sunt, quae disputavi, eadem opera lux sequenti quoque versui a Pass. ingeniose tentato affertur. Quae enim a L. P. contra eum proferuntur, ea auctoritate quidem nituntur, ratione tamen carent idonea. Urbes κατὰ χέοσον, inquit Pass., opponuntur παροίκοις Στρυμονίου πελάγους; ἐληλαμέναι vero dixit civitates, continua quadam serie in regionibus a mari remotioribus sitas. Locutio, ut alia in hoc carmine, ad imitationem Homericam comparata est, sic τεῖχος ἐλαύνειν etc., quibus omnibus notio inest ordinis nusquam interrupti perpetuoque decurrentis: nostro loco de urbibus agitur tam exiguo intervallo dispositis, ut uno veluti munimento praetegere terram viderentur. Nec insulis tantum, sed et orae maritimae opponi ἥπειρον et χέοσον, testis est Hom. Odyss. IX. 49. . Qua ratiocinatione ductus πόροι in antistropha eiecit, atque in stropha Hermanni coniecturam ποταμοῦ improbans ποταμοῦ οὐδ' ephonesi durissima pronuntiare cogitur. At non assequor, quid ista ratione adscita sibi velit illud πέρι, aut schol. A.: τοῖς τείχεσι κεκυλωμέναι, quibus verbis explicantur in antistrophae versu primo posita: ἐληλαμέναι πέρι πόροι, id est περιεληλαμέναι πόροι. Ne multa, sententia textu vulgato servato, nisi quod in vocula πέρι anastropha est statuenda, haec esse videtur: urbibus sinum Strymonium adiacentibus opponuntur quae in continente sitae moenibusque sunt circumdatae. Ceterum haud scio an hoc quoque sit subaudiendum, neque mare, neque moenia, quibus illae urbes cinctae essent, valuisse ad impetus Persarum sustinendos.

Stropha III.

- v. 1. νᾶσοι 3' αἱ κατὰ πρῶν ἄλιον περικλυστοι,  
τῆδε γὰρ προσήμεναι,  
οἵα λέσβος ἔλαιοφυτός τε Σάμος, Χίος,  
ἡδὲ Ήράσος, Νάξος, Μύκονος, Τήρη τε συνάπτονται  
5. Ἀνδρος ἀγχυγείτων.

Antistr. III.

- v. 1. καὶ τὰς ἀμφιάλους ἰσχάτει τε μεσάκτους,  
Ἄγινον, Τιάρον 3' ἔδοι,  
καὶ 'Ρόδον, ἡδὲ Κρήτης Κυπρίας τε πόλεις, Πάφον,  
ἡδὲ Σύλλους, Σαλαμίνα τε, τὰς νῦν ματρόπολες τῶνδε  
5. αἵτις στεναγμῶν.

v. 1. X - - - - tetram. dact. cat. in dis. c. b.

- - - - - tetrap. tr. cat.

v. 3 et 4. sistema dactyl.

5. - - - - - ithyph.

V. 3 et 4 tum Hermannus licet unum praelongum versum statuat, qui versuum modum excedat (cf. quae supra dixi): tamen eo in duos diviso res praecclare se habet, neque L. P. audiendi, qui syzygias tuentur. Quid enim potest aptius inveniri, quam in hac insularum et urbium cumulatione poëtam, si non uno versu, at uno systemate singulos per pedes eodem tenore festinante celeriter pergere ad finem? Si enim per syzygias (quarum arses pares sive rationales sunt) sistema lente incederet, fieri non potuit, quin Aeschylus iis, qui audirent, fastidium erearet. Quae cum ita sint, vel hinc Hermanni elegantia eluet, nec, ubi ratione supersedeat reddenda, temere quid fecisse insimulandus est. Atque operae pretium me facturum arbitror, si ipsum de eiusdem versibus disputationem protulero: el d. m. p. 321: „ex iis, quae supra dicta sunt, coniicias, duo esse genera versuum dactylicorum, unum, in quo arsis aequet thesin, alterum, quod irrationalem longam in arsi habeat.

Si ita est, appareat, illud genus, iu quo pares sunt arses, et theses, gravem habere et aequabilem incessum, alterum autem leviore et citatiore cursu ferri. In strophae igitur versu tertio *οῖα* in antistr. *καὶ Ρόδον* ab Herm. in *'Ρόδον'*, ut basim haberet, mntatum si restituerimus, sistema dactylicum irrationalibus apparebit arsibus.

Antistr. v. 1. *ἄγχιάλους* cum Pauvio mutandum censui in *ἀμφιάλους*; *νῆσοι* enim *ἄγχιάλοι* sunt insulae a continente non multum remotae, altero autem latere in apertum mare propicientes cf. Lob. ad Aj. v. 135, ibidem Herm. Atqui huiusmodi insulae iam sunt enumeratae: *τὰδε γὰρ προσήμεναι*, quae sint eadem atque *ἄγχιάλοι*. Putida ergo iteratio, praesertim cum, nominativo priorum versuum hic in accusativum mutato, \*) novum quiddam expectes, nos offendat necesse sit. At enim Aeschylus tale quidquam in se non admisit; sequuntur enim insulae reapse *ἀμφιάλοι*, id est undique aperto mari, quippe remotores ab Asia minore, circumfusae. Quare Aesch. *ἀμφιάλους* scripsisse mihi persuasum est.

*ἐξοάτει τε μεσάκτους) μεσάκτους* L. P. recte defenderunt a variis conaminibus, minus recte verterunt: inter *ἄκτας* Asiae et Europae sitas. Quae ratio evertitur ab ipsis sic pergentibus: sane est, quod obiiicias, etiam alias insulas inter Asiam et Europam iacere, sed nolis rerum geographicarum negligentiam quandam vitio vertere ingeniosissimo poetae. Illud aevum, quam rude fuerit in geographia, omnibus satis est notum.<sup>a)</sup> Etenim tales errores fere tum, cum cuius loci explanationem desperamus, non diu mansurae finguntur. Ista enim rudis rerum geographicarum notitia in Prometheus, ubi de regionibus remotissimis agitur, aut si Aesch. hanc fabulam ante bellum Medicum scripsisset, non offenderet illa quidem, sed cum Graeci in illis regionibus manus cum Persis conseruissent, Asiamque minorem et insulas adiacentes a servitute liberassent, iam earum situs non poterat esse obscurus. Si porro *ἄγχιάλοι* et *μέσακτοι* de iisdem insulis dicatur: cum adjectivo *μέσακτοι* hoc loco insulas in medio mari sitas significari velint, quomodo prope littus iacentes (*ἄγχιάλοι*) eadem medio in mari sitae recte dici possint, equidem non perspicio. Quid? quod Cnidus, Soli ne sunt quidem insulae, sed urbes in continente positae. Itaque nisi forte totum hunc locum clamatum, ut aiunt, voluerimus, alia via ingredienda videtur. Atque primum, quum *ἀμφιάλος* et *μέσακτος*, hoc vocabulum sive „in medio mari,” sive „medium ad littus situs“ interpreteris, non possint ad unum eundemque locum referri, videndum, num loca sequentia partim ad *ἀμφιάλους*, partim ad *μεσάκτους* spectare reperiantur. Jam vero reapse inter Lemnum, Icariam, Rhodum et Cnidum, Paphum, Solos, Salamina nimurum hoc interest, quod priores sunt insulae, posteriores urbes et eae quidem maritimae, quae, et dextrorum et sinistrorum cum ad mare littusque praebant prospectum, recte dicantur *μέσακτοι*. Quae loca cum re segregentur, tum distinguuntur forma (cf. textum *τέ-κατ* opp. *ηδέ-τε, ηδέ-τε*). Quae cum ita essent, verbum *ἐξοάτυνε*, quod unum officeret, in dubitationem non potui non vocare, praesertim cum Ald. et Rob. *ἐξοάτηνε* exhiberent. Saepius autem hoc loco religiose perpenso pro vulgata *ἐξοάτυνε*, *ἐξοάτει τε* scribens verum reperrisse mihi sum visus. Non equidem nego, exquisitiorem particulae *τέ* usum hoc loco apparere, quae proprie post *μεσάκτους* ponи debuerit; sed eam collocationem hic illuc exstare docent Meinek. eur. crit. in Athen. p. 10 Elmsl. Eur. Iph. Aul. 508 et Heraclid. 622 Herm. Soph. Phil. 454. Quae particulae *τέ* collocatio ellipsi verbi *ἐξοάτει* sic explananda: *καὶ τὰς ἀμφ. ἐξοάτει, ἐξοάτει τε μεσ.* Quod liberius dicendi genus librarios fefellisse, est verisimile.

\*) *οῖα Λίσβος . . .*

*καὶ τὰς ὄμφιάλους . . .*

Epodus.

v. 1. καὶ τὰς εἰστάνους κατὰ κλῆρον Ιαόνιον πολυάνθεος

Ἐλλάνων ἐχούται σφετέραις φεσίν. etc.

v. 1. X - - ○○ - ○○ - ○○ - ○○ - ○○ - - hex. dactyl. cat. in  
dis. c. bas.

X - - ○○ - ○○ - ○○ - ○○ trim. acat. c. basi. etc.

V. 1. cum Lachmanno et Hermanno *Ιαόνιον* scribendum est.

V. 2. yexatissimus est. Burneius post *ἐξοάτυνε* (sic vulgo scriptum exstat) *ἀραιτοτρόπος* ex Athenaeo addi voluit. Sed de hoc loco Pass. egregie disputat, nec habeo, quid adiiciam. Hermannus autem expunxit *ἐξοάτυνε*, recepitque *Ἐλαύνων*, quod aliquot codices exhibent, sed optimi præbent *Ἐλλάγων*, unde illud fluxisse videtur. L. P. Lachmannum secuti hunc versum pro asynarteto habent, qui nescio an nunquam apud Aeschylum inveniatur. Albertius de choro suppl. p. 30, in quod et ipse incideram, legit vocibus transpositis: *φρεσίν σφετέραισι*, quae collocatio licet legitima sit ac vulgaris, inveniaturque apud Homerum sexcenties *φρεσί* cum *ησι* coniunctum: ob id ipsum tamen lectio vulgata librariis mendo verti non potest. Quin etiam sensus eam tuetur, cum *σφετέραις φρεσίν* opponatur sequenti *σθένος ἀνδρῶν*. Quod unum restabat, id arripiimus pro *ἐξοάτυνε*, quod iterato errore (cf. supra) in textum irrepsisse videretur, *ἐξοάτει* restituentes.

V. 4 et 5. efficiunt systema dact. . Ne itidem aeolici habeantur, obstant, quae ab Herm. afferuntur in el. d. m. p. 361: „verum esse puto, quod dicit Hephaestio, praeter primum pedem ceteros esse dactylicos puros, nisi si quid in ultimo catalexis vel syllaba anceps mutat. Neque enim usquam in versibus aeolicis spondeus pro dactylo positus invenitur.“ Ceterum in lectionibus aut approbandis aut reprobando secutus sum L. P., quos cf.

Stasimo absoluto Xerxes miseratione dignus prodit in scenam miscetque querelas et lamentationes cum choro.

Sequitur systema anapaesticum, quippe in adventu personae primum in scenam prodeuntis; cuius systematis descriptione et interpretatione, quam satis integrum usque ad nostram manerit memoriam, in universum supersedeamus: pauca dumtaxat moneamus.

V. 920 *σέκτοι Περσᾶν· ἄδοβάται γάρ*) pro vulgari *ἄγδαβάται* cum Passov., qui istud mendum argute investigatum ingeniose emendaverit, scribendum esse *ἄδοβάται*, nemo non videt. .

v. 926. αἰνῶς, αἰνῶς ἐπὶ γόννα κείλεται.

— — — ○○ ○○ ○○ —

Lachm.: de chor. syst. p. 99, Seidl. de v. dochm. p. 176., quos secuti sunt L. P., hunc versum dissecant, ut prior v. monom. anap., posterior evadat dochm. — Hermannus rursum el. d. m. p. 383, Pass., Blomf., Eng. de Aesch. ant. resp. p. 32. istas versuum particulas numero anapaestico metientes suo iure coniungunt. Quod enim L. P. non dubitant, quin Aesch. his versibus praemissis praeludere voluerit iis numeris, quos toto carmine esset adhibitus: videant, cum in stropha *α'* et priore parte str. *β'* numeri generis anapaestici licet liberioris existent, ne id in nostram interpretemur partem. Ne multis, illam dipodium non posse in dochmiis ponit, vel inde appetet, quod, duae syllabae breves in productae loco positae ut etiam in altera arsi versuum dochmiacorum quamvis

concitatorum semper unius eiusdemque vocis essent, poëtae scenici operam dederunt. Id quod sagaciter est investigatum ab Engero l. l. pag. 60 sq.

Sequitur a v. 927 usque ad finem carmen, quod est e genere **κομμῶν**. Atque id esse systema antistrophicum, quod septem constaret e strophis totidemque antistr. singillatim continuo adiunctis absolvereturque epodo, Pass. recte perspexit. Responsiones primus sensit Herm. (cf. el. d. m. p. 428) sed ita, strophas a v. 945 demum ut faceret incipientes, quam descriptionem Schützii repetit in edit. minore. Burn. et Blomf. initium stropharum licet recte indicaverint, temere tamen earum numerum auxerunt. Terminant enim tertiam str. versu 981, ut hic cum v. sequenti novam efficiat, sequaturque a v. 983 usque ad v. 994 antistr. III., quam excipiat quarta constans ex vv. 995 et 996. Cetera in universum eum ratione Herm. congruent. Albertius, qui novissime hunc locum attigit, (de Aesch. choro suppl. p. 29 sqq.) ut suam rationem, Aeschylum videlicet usquequaque in stropharum numero rationem habuisse choreutarum, tueretur; ultimam stropham et antistr. corruptricis et lacunis in epodum contaminatas statuere est coactus.

Jam vero totius systematis tres strophae priores ita sunt comparatae, ut prior cuiusque pars continua a Xerxe, a choro posterior canatur, atque numerus maximam partem sit anapaesticus.

Stropha I.

X.

v. 1. "Οδ' ἐγών, οἱ οἱ, αλαζός,  
μέλεος, γέννης γὰρ τε πατρῷς  
καζὸν ἄρ' ἐγνόμας.

Ch.

προσφέργγον σοι νόστου τὰν  
5. γαζοφέτιδα βούν, γαζομέλεστον ἄν  
Μαμανθων ὀνυητῆρος  
πέμψω, πέμψω πολύδαχον τεχάν.

Antistr. I.

X.

v. 1. οὐτ' αἰανή πάνθυτον  
δέσδρον αὐδάν· δαιμων γέρος δέ  
μετατρόπος επ' έμοι.

Ch.

ἡσω τοι καὶ πάνθυτον,  
δαπαθίει σέβων, ἀλίτυπά τε βάρη,  
πόλεως γέννας πενθητῆρος.  
χλάγχω, χλάγχω σ' αὖ γάσον ἀριδαχον.

In his regnat numerus anap. liberioris generis, de quo praeclare disserit Herm. el. d. m. p. 384, quem presse in metro constituendo secutus disputantem ad verbum afferam: atque hoc quidem genus liberiorum anapaestorum apud tragicos frequentissimum est... Praevit hac quoque in re Aesch., apud quem unum insigne exemplum dintius continuati huius numeri habemus in Persis v. 925 sqq. Caret hoc genus necessitate caesurae, multosque continuos amat paroemiacos, eosque plerunque totos ex longis syllabis factos. Nam omnino ita spondeus in his versibus regnat, ut iure anapaesti spondiaci appellari possint, etsi iidem etiam proceleusmaticos recipient,“

Qua magna fretus auctoritate metrum in hunc modum descripsi:

v. 1.  $\text{oo} \text{ } \text{oo}$  — — — — — paroem.

$\text{oo} \text{oo}$  — — —  $\text{oo} \text{oo}$  — dim. anap. acat.

$\text{oo} \text{oo} \text{oo}$  — mon. an. acat.

— — — — — paroem.

5.  $\text{oo} \text{ } \text{oo} \text{ } \text{oo} \text{ } \text{oo}$  — dim. anap. acat.

$\text{oo} \text{ } \text{oo} \text{ } \text{oo}$  — id.

— — —  $\text{oo} \text{oo} \text{oo}$  — id.

De versu 3 et 7 cf. Engerum disputantem in l.l. p. 32 et 62.

V. 5. Engerus quidem l.l. p. 55 dubitat, an hic v. in anapaesticis sit numerandus; L. P. autem haud dubitanter eum in duos dochmios dispescuerunt, nimis enim spondiaco anapaesto aduersari procelesmaticum; at enim ne ulla dubitatio superesset de anap., hunc v. Aesch. sic in vulgaribus v.v. anap. inclusit, ut, idem metrum tota str. regnare, tanquam sponte appareret. Sane quidem spondaici illi anap. pugnant cum solutis, sed eodem metro in diversas partes acto animorum commotiones mirum quam depinguntur. In iustis systematis anap. id factum nego, solutiones unice in liberiora quadrare, ibique earum sedem esse, cum Herm. censeo.

V. 5tus antistrophei vulgo sic exhibetur: *λαοπαθῆ τε σεβῖσσων ἀλιτυπά τε βάσην*. Cum v. stroph. in depravationis suspicionem vocari non possit, nostrique versus variae exstant lectiones ad unam metrum tollentes omnes: coniiciendi facultate verum est inveniendum. Schol. B. hunc locum sic explicat: *ἴγουν τὰ ἐν χέρσῳ καὶ θαλάσσῃ τοῖς Πέρσαις συμβάντα*. L. P. suo iure negant, schol. recte interpretari *λαοπαθῆ* illo *τὰ ἐν χέρσῳ*, cum *λαοπαθῆ βάσην* nihil aliud possint valere, nisi calamitates, quas percessus sit populus, quae non possint opponi *τοῖς ἀλιτύποις βάσεσι*, quoniam calamitates maritimae idem populus acceperit. Itaque aut errasse schol., aut legisse *γαιοπαθῆ*. Verumtamen cum prope a vero absint, devii feruntur emendantes: *ἀλιπαθῆ σεβῶν ἀλιτυπά τε βάσην*, cuius lectionis nec vestigium quidem usquam appareat, et non ferenda sit tautologia. Engeri porro conjectura (pag. 54 sq. *λαπαθέα* habet ea quidem, quo commendetur; attamen si vertendum sit: clades ab (Athemensium) populo (Persis) illata, ita ut terrestris clades (*λαπαθέα*) et classis (*ἀλιτυπά*) commemoretur; haec cum rerum gestarum memoria non prorsus congruere videntur. Quo enim tempore Xerxes recens a fuga in Asiam reversus ab Aescho fuit, Persas ab Atheniensibus ex Attica egressis non terra, sed mari, apud Salaminam constat esse devictos. Sequitur, ut *λαπαθέα βάσην* generatim significet: clades a populo (Athen.) illata. At enim ista ratione *β. ἀλιτυπά* opponantur *λαπαθέαν* ut species generi. Nam *ἀλιτυπά βάσην* et ipsa ad Athenenses referri oportere, vel inde perspicitur, quod neque Xerxes temporibus fluctuum vi est afflita classis ulla Persarum, neque naufragii ad montem facti Athonem senes Persici, qui paulo ante Darii tempora quasi auream quandam aetatem depinxerint, mentionem possunt inferre. Accedit, quod a v. 940 illa *βάσην ἀλιτυπά* praecipue ab Athen. ad Salaminam Persis inficta (v. 960) deinceps enumerantur. Quae Victoria maxime Atheniensium opera ex barbaris reportata quamvis sit magna, imprimisque ab Aesch. patriae amanti summis celebretur laudibus: attamen Thermopylarum aliorumve locorum, ubi proeliis terrestribus tot milia Persarum ab aliis Graecis interiissent, ut Aesch. oblivisceretur, factum non puto. Jam vero cum in tralatatio *λαοπαθῆ* calamitatem terra acceptam latere mihi esset persuasum, circumspiceremque vocabulum similiter

scriptum atque ea significatione praeditum: dorica forma *δαλαθέα*, analogia vocabulorum *Δαματερ*, qui vocativus etiam dialecto attica est tritus, et *δαπεδον* satis probata tanquam sponte se obtulit. Neque obstat, quod Doederl. *δαπεδον* contractum dicit esse ex *διάπεδον*, ut *δαγοινός* ex *διάγοινος*, *δαπεδον* enim a producto effertur, nihilque aliud significat, nisi germ. *Erboden*, ut doricum *δᾶν* vertitur „per tellurem.“ — Nostram lectionem *δαλαθέα* esse probam, id adeo ex ipso scholiasta cognoscas, etenim qui primus *τὰ ἐν χέρσῳ* annotavit, *δαλαθέα* in textu scriptum legisse, non est, quod pluribus demonstrem. Nec mirum, hanc insolentiorem formam librariis fraudi fuisse, eosque metro succursuros ex mendo in mendum egisse.

De *τε* sublato ac *σεβίζων* in *σεβων* mutato cf. L. P.

Stropha II.

X,

1. *Αὐτὸν γὰρ ἀπηρίαν*

*ναιύφραξις Ιάνων*

*Ἄρτις ἐπερείκης*

*βαρυχειρ πλάξα περσάμενος.*

5. *δεσδαιμονά τ' ἀπιάν.*

Antistr. II.

X.

v. 1. *ἄλους ἀπέλειπον*

*Τεγίας ἐν ναός*

*ἴδοντας ἐπ' ἄπταις*

*Σελαμινίας στυγελονός*

*θείοντας ἐπ' ἄπτας* etc.

v. 4. *— — — — —*

*— — — — —*

*— — — — —*

*— — — — —*

tripodiae anap. cat. in syll.

*— — — — —*

*— — — — —*

*— — — — —*

system. anap.

Priorem strophae partem in omnibus libris choro tributam Lachmannus, ut assolet, recte Xerxi restituit.

V. 1. Quum ante hos quinque annos conjecturam, quae ad hunc locum spectaret, in commendatione de Glaucō Potniensi prolatam, occasione data me defensurum promiserim, fidem iam sum praestaturus.

Verum est index et sui et falsi, quare cum nisus auctoritatibus Hermanni et Engeri Xerxem in strophe I. et II. persentiscerem meris uti anap., atque hunc numerum in universum regnare in priore huius cantici parte; initia strophae II et antistr. esse corrupta non poteram non perspicere. Qua in re critici quum ad unum omnes a strophe profecti essent corrigenda: mihi contra antistropham, quae levi tantum macula aspersa esset, prius in genuinum redigere statum, quam stropham attingerem, aptius vel potius necessarium videbatur. Atque codicis optimae notae Med. lectione: *ἀπέλειπον* pro vulgata *ἀπέλιπον* restituta (cf. Enger. I. l. p. 80): antistropha metricae rationi, quam supra posui, vel optime convenit. Tantum autem abest, ut haec lectio molestiam creare videatnr, ut Aeschylus hac forma sola uti potuisse, persuasum mihi sit. Etenim choro quaerenti, ubinam duces celeberrimos reliquisset: Xerxes, qui in solio sedens ad littus eos pugnantes moribundosque vidisset, et cunctanter summoque cum dolore reliquisset, respondens, fieri non potuit, quin uteretur imperfecto. Quod quam sit huic loco aptum, magna cum animi commotione vividaque descriptione illam atrocem cladem repraesentanti, quis est, quin sentiat? Jam vero participia praesentia: *ἔργοντας* et *θερόντας* quam vim habent cum illo imperfecto coniuncta, appareat. Atque obversabantur animo, quae Ritschelius noster, quum v. 55. Sept. ad Theb. idem *ἔλειπον* tueretur, imperfecti in aoristum verbi *λείπειν* depravatione commissa dixerat. Etenim quum imperfectum apud scriptores Graecos, ubi quid narrarent, haud ita saepe in universum legeretur, factum esse, ut illius quoque verbi imperfectum, invita saepissime natura, in aoristum passim depravaretur. Jam vero religione lectionis ex optimo codice introducendae sublata omni, quum auctoritas, sententia, metrum, ut id facerem, suaderent: ad stropham corrigendam animum appuli, sed ita, ut nimia abstinerem audacia. — Stropha autem vv. 1 et 2 aliter ab aliis sunt tractati. Et Herm. quidem de metr. p. 428 *Ἴάνων* exhibens, ac Lachmannus l. l. p. 99 et Blomf. *Ἴώνων* in v. 1. tuentes, v. 2. idem eiecerunt vocabulum, quo facto vim antistrophae inferrent erat necesse. Nec sic quidem metrum recte procedit, cum L. P., quo minus versus 1. suadente Herm. in cyclis recte ponatur, mensuram vocis *Ἴάνων* obstarre, suo iure mo- neant. Passov. autem utrumque *Ἴάνων* retinens, tres priores v.v. in antispastis numerat cum anaer. et sequenti syllaba coniunctis, quod antispastorum genus nescio, an nunquam sit usurpatum. L. P. eosdem vv. pro dochmis habent, quorum duo priores anaerusi sint instructi, primus v. strophicus ultima thesi sit producta, quae respondeat correptae versus antistrophie; qualem responsionem abhorrete ab Aeschyli subtilitate, luculenter docet Enger. I. l. p. 48. Quamquam id apud alios inveniri tragicos, in gravissimas Seidleri de dochmio observations est referendum. — Quae cum ita sint, alia ratio ineunda videtur. Primum autem me movit illud *ἀπηγόσα* absolute positum, cuius activa forma nusquam exstet sic usurpata. Apud Aesch., fortuna haud adiuvante, non invenitur hoc verbum nisi hoc loco et in Prom. v. 28 forma media, ubi significat fructum capere. Quo de verbo egregie disput. Buttm. in lexil. I. p. 76 sqq. haec fere dicens: in verbis *ἀπανδάν*, *ἐπανδεῖν*, *ἐπανο-* *σκεσθαι* apparere stirpem eandem, quae sit verbi *ἀρύω* et Romanorum: „haurio.“ Ut autem latinum verbum hauriendi in utramque partem diei possit (haurire voluptates — luctum et dolorem), sic graecam radicem *ἀρύω* et inde ductum *ἐπανοσθαι* usurpari ea quidem de rebus et secundis et adversis, attamen verbum *ἀπανδάν* apud Homerum induisse potestatem rapiendi et auferendi. Apud posteriores rursum scriptores in hoc verbo vim ancipitem primitivi comparere redintegratam, ut *ἀπανδάν* fere idem significet, quod *ἐπανοσθαι*. Quod denique attineat ad casus, quibus haec verba iungantur, in universum esse statuendum, genitivum consequi, quum qua res ipsa hauriatur, accusativum, quum ex qua re fructus capiatur, sive quid cui auferatur, aut per quem sive rem quampliam damnum faciatur. Quae Buttmanni praecepta sic restringenda videntur, ut verbum *ἀπανδό*. licet apud posteriores scriptores consimiliter atque *ἐπανδό*. usurpetur, hoc tamen intercedere statuamus discriminis, quod *ἐπανδεῖν* (Pind. Pyth. 3,65) et *ἐπανοσθαι* (Il. VI, 353) absolute posita inveniuntur, *ἀπανδάν* non item. Quod quidem niti causa idonea, inde appetet, quod in v. *ἀπανδό*. *ἀπ(ό)* praepositio, quae est eius natura, desiderat objectum, quod hauriatur, *ἐπανδό*. rursum pro praepositionis *ἐπ(ί)* potestate subiectum praecepit exigit. Pro re igitur nata in priore *Ἴάνων* et metrum

tollente et subinde non poëtica nescio qua abundantia, sed reapse taedium putida iteratione pariente: an lateret desideratus ille genitivus dubitabam: quaenam illa vox esset, nisi schol. B. annotasset ad *ἀπηγόρα* · *ἀρετέτο ἡμᾶς*, pro certo affirmare non poteram. Etenim qui primus sic interpretatus

est, is non adiecisset *ἡμᾶς*, nisi in eius textu exstaret *ἄμων*. Immo potius ut schol. A.: *ἀρετέτο λοχύν τῶν Περσῶν*, vel ut recentiores commentatores: *πόλεως γένναν* ex antegressis explessent. Veterissimam autem esse eam depravationem inde patet, quod variae lectt. verae ne vestigium quidem ostendunt. Atque haud scio, an hoc erratum in ea usque tempora sit reiiciendum, quibus spiritus asper nota **I**- exprimebatur, lenis signo **I**; ut librarii subsequente in v. 2.

**IΛΑΝΩΝ** (*Iάνων*) vel omisso spiritu leni **IΛΑΝΩΝ** decepti, levi mutatione facta pro **I·A M Ω N** (*ἄμων*) scriberent **IΛΑΝΩΝ**. Quam ratiocinationem Lachmanno, *ἀνδρὶ κοιτωτάτῳ*, cuius mortem lugemus, nisi quod *ἄμων* doricam formam negavit apud Aesch. exstare, probabilem visam: id habere momentum haud parvum existimo. Ceterum Aeschylo Eumen. 329 *ἄμων*, Sept. 141. *ἄμων* scribenti leniorem dorismum in hoc cantico exhibere non licuerit?

V. 2. Metrum secundi v. idem est ac prioris, dummodo vocum sedes mutaveris, quippe quem *ἄμων* in *Iάνων* corrupto, perversus horum vocab. ordo, ut iusta scilicet evaderet anaphora, tanquam sponte se obtulerit.

V. 2. formam *Iάνων* et coniecturam nostram probantem et rursus ea probatam cum Herm. et Pass. tueor. Contractione ea est facta ex vulgariore *Iάονες*, quae ex Iliade 13,685 ad omnes fere poëtas transiit. Atque hunc locum sic vertimus: (e nobis hausit fructum) victoriam nobis eripuit (sive e nobis victoriam reportavit) navibus stipatus et alteri parti victoriam impertiens Mars, cum demeteret irriguam planitiem infaustumque littus. In versu enim quarto praeante Blomf. *βούχιον* scribo, quoniam *πλάξ* non addito *πόντου* nusquam ad mare refertur, coniunctum cum adiectivo *βούχιος* potest utique aequoris induere significationem. E contrario poëta noster, cum Sept. 64 *χίμα* de copiis terrestribus audacius dici videretur, id evitaturus posuit: *βοὶ γὰρ χίμα* *χερσαῖον στρατοῦ*. Ceterum non mirum, quum de Marte mortifero sermo esset, librarios horriferum *χίμα* scilicet aptius habuisse.

Huius commentationis finem feci Idib. Sext. A. c.

#### Addenda.

Recentiorum editionum inspiciendarum cum mihi in hoc nostro recessu non daretur potestas, neque, ut de meo eas compararem, per hanc annonae caritatem fieri posset: inter commentationem typis describendam Hermannianam saltem, quam audissem et equidem pro certo haberem esse praestantissimam perlustraturus et breviter, quae viderentur, additurus: ab Engero, ut mihi illius editionis pervolvendae faceret copiam per literas petii. Quod optatum cum a viro doctissimo, qua est humanitate, impretravisse, coronidis loco Hermanni coniecturas ad hoc canticum spectantia proferam:

V. 858 edit. Herm. „Eleganter Schützini scribendum ess coniecit:

*πρῶτα μὲν εὐθύκιμοι στρατῖς ἀπεγανόμεθ'*

Sed scribendum est mutatione paene leniore:

*πρῶτα μὲν ἐνδοξίους στρατιὰς ἀπεραιόμεθ,*

primum prospere rem gerentes exercitus ostendimus. Est autem *ἀποφανεσθαι* spectandum exhibere, quod nostrum est. Incidit in eandem emendationem Wellauerus.<sup>4</sup>

V. 859. „*νουίσματα πύργια* scribendum esse olim dixi. Perfecisse mihi videor emendationem mutato ηδὲ in οἱ δέ.“

V. 860. „Dactylum qui excidit non male Schwenckius inserendo *εὐφρονας* restituendum esse coniecit.“ Incidi in eandem emendationem. Cf. hunc versum in commentatione tractatum.

V. 875. „*μεσακτίους παραθαλασσίους* schol. M.“ Qua scholiastae explicatione firmatur nostra huius loci explanatio.

V. 881. „... *ἐξοάτυνε* eiiciendum putavi, nunc rectius visum est scribere *ἐξοάτει*.“ Equideum in eandem incidi emendationem.

V. 884. „Pro eo quod vulgo legitur: τάδ' αὖ φέρομεν scripsisse Aeschylum putavi τάδ' ἀμφέρομεν i. e. τάδ' ἀναφέρομεν εἰς θεοὺς τρέψαντες.

V. 892 sqq. De lacuna ab Herm. expleta cf. l.l.

V. 904. „Lenissima mutatione scripsi *ἄδοβάται*, scilicet *εἰσίν*. Jam sententia optime procedit: multi enim Orcicola sunt fortes viri: innumerablem enim periere. Wellauerus et Schölefieldius hanc et alias emendationes Passovio tribuerunt, qui eas a me accepit, nec dixit suas esse.“

V. 922. „Scripsi *δαιταθέα σεβων ἀλτυντα τε βάρη*“ · *ἀλτυντα* ad cladem Salaminiam referri supra dixi, neque abiicio coniecturam in commentatione prolatam. Etenim et nexus sententiārum et scholiastes *δα* sive *γαπαθέα* probam esse lectionem demonstrant.

V. 927. „Quodsi in Persarum versu cum scholiasta funestum mare atque exitiosum intelligi placeat, erit hoc et sine exemplo dictum et nimis ambiguum. Haec me moverunt, ut quamvis repugnantibus libris *αυχίαν πλάνα* scriberem. (Pauwius et Heathius, si quid mutandum esset, et ipsi *αυχίαν* scribendum putaverunt.) Recte autem apte recessum maris, in quo pugnatum est, simul cum obiecto litore Salaminio commemorari apertum est.“



